

simum primum Anni Millesimi sexcentissimi octauī ante Coronationem et art. Trigessimum secundum Anni Millesimi Sexcentissimi noni, paterne Confiniis prouidere dignabitur. Nona conditio. Quod Ciuitates liberas et Montanas in suis Iuribus et libertatibus, priuilegiis, et immunitatibus conseruabit. Decima conditio. Quod Coronam Regni ex Regno Hungariae nulla ex causa vel arte Maiestas Sua Regia auferet aut auferri curabit, sed quod iuxta veterem consuetudinem ac libertatem ipsorum Regnicolarum per certas et de eorum medio vnanimiter ad hoc delectas et deputatas personas utriusque Religionis Seculares in Regno conseruabit, iuxta articulum quartum ante Coronationem et decimum sextum post Coronationem Anni Millesimi sexcentissimi octauī, et Wladislai Regis Decreto in conditionibus. Item eiusdem Wladislai Decretorum Anni Millesimi Quadringentesimi nonagesimi secundi articulum tertium. Vndecima conditio. Quod metas Regni Hungariae et partium ei subiectarum non abalienabit, imo differentias ratione metarum cum Polonis, Silesitis, Morauis et Austriacis, nec non Styris, Carinthis, Carniolis exortas ac vigentes omni studio ac ope Majestas Sua Regia componet, determinabit et recuperabit. Duodecima conditio. Quod confoederationes cum Regno Bohemiae et aliis vicinis Provinciis ac Transylvania, iuxta articulum Pacificationis Wiennensis et Constitutionum Anni Millesimi sexcentissimi noni art. quadragesimum secundum in suo vigore permaneant, Suaque Majestas eos obseruabit et per suos obseruari faciet. Decima tertia conditio. Quae de pace publica Regni conseruanda et bello non movendo extraneoque milite non iuducendo art. secundo ante Coronationem in Anno Millesimo sexcentesimo octauo sancita fuerunt, ea Sua Majestas Regia inuiolabiliter obseruabit, et per alios obseruari faciet. Decima quarta conditio. Vt intuitu sinceri erga Domum Austriacam Suamque Maiestatem Regiam amoris et beneuolentiae gentis Hungaricae hactenus luculenter satis declaratae, ac in futurum quoque declarandae, Arces Pernstein, Kobelsdorf, Gyns, Frakenstein, Aysenstadt et Hornstein cum suis pertinentijs iam tandem interpositione, auxilio et munificentia Suae Majestatis Regiae ab Austriacis gratis eliberentur et Regnicolis pro animi ipsorum gratitudine, qua Domum Austriacam, atque Regiam quoque Maiestatem Suam prosequuntur, remittantur, siquidem a tot retroactis temporibus amplas satis utilitates et emolumenta exinde perceperint. Si autem dictae Arces ab Austriacis gratis non remitterentur, extunc deposita Inscriptionis summa ab iisdem redimantur, et iuxta articulum septimum Anni Millesimi sexcentissimi octauī, item Anni Millesimi sexcentissimi noni art. sexagesimum secundum. Jurisdictioni, legibus et Oneribus praedictarum artium pertinentiae subiaceant. Decima quinta conditio. Quod castrum Lublyo cum suis pertinentiis et tredecim oppida Scepusiensia, siquidem magno cum damno et incommodo Regni et Regnicolarum a Polonis possidentur: nam non solum aliquid in medium Regnicolarum contribuere nolunt, verum illatis Regnicolis diuersis iniuriis ac violentiis in Regno Hungariae Juri stare et in Comitatibus comparere recusant, omnes suos conatus manu violenta impune exercendo; vnde et Auctoritati Suae Majestatis plurimum derogare videtur; Majestas Sua Regia, facta interpositione apud Sacram Caesaream et Regiam Majestatem castrum illud cum pertinentiis et praedictis oppidis eliberare Regnoque applicare dignetur, cum non desint modi summam illam inscriptionis per Regnicolas deponendi. Decima sexta conditio. Quod Milites Hajdones priuilegia a Sua Majestate Caesarea et Regia habentes fruuntur illis, et tempore regiminis sui Majestas Sua Regia confirmare dignabitur. Decima septima conditio. Asse-